



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Amor Dei vt sit scopus omnium operum, exercitiorum, & eorum quæ patimur, quiq[ue] præceptum dilectionis sit intelligendum. Cap. XII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Præmijs potiri sine vlla gladij læsione. Quo pacto? si tribulationes æquo animo sufferas. Sufferamus ergo hilariter omnia nobis aduersa, quoniam nemo coronabitur, nisi qui legitime certauerit. Per exercitia spiritalia vix tandem proficit homo ad cognitionem sui: cæterum per exercitia tribulationum non tam discit quam experitur quis qualisue sit.

Quoniam verò tribulatione aut infirmitate pressus sensuum oblectamentis perfrui vetatur, internam consolationem à Deo inuestigare compellitur: quemadmodum & arbori inferiores sirculi amputantur, vt eo sublimius in altum erigatur. Deus nobiscum est in tribulatione & eripiet nos quoniam fidelis est, nec patietur nos tentari supra vires, sed faciet cum tentatione pronentum (teste Paulo) vt possimus sustinere. & non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam que reuelabitur in nobis. 1. Cor. 10.

*Amor Dei vt sit scopus omnium operum, exercitiorum & eorum
quæ patimur, qui que præceptum dilectionis Dei sit
intelligendum.*

CAPVT XII.

Amor Dei scopus est, ad quem omnia opera tendunt, propter quem assequendum omnia exercitia sunt ordinanda. Nam & si omnes facultates tuas pauperibus eroges, si corpus tuum tradas ignibus exurendum, si etiam tantum bonorum operum quantum omnes totius mundi homines perficias, charitatem autem non habes nihil tibi proderit. Quantum habes charitatis, tantum habes sanctitatis, & nihil amplius. Hoc charitatis præceptum summum est & maximum eorum que Dominus nobis mandauit, in quo etiam omnes scripturæ pendent & prophetæ. Vnde Augustinus: Si implere, inquit, vis quecunque in scripturis siue explicitè, siue implicite continentur, veram Dei seruam charitatem. *Diliges, inquit, Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, hoc est, ex omnibus desiderijs & voluntate tua, vt nihil desideris, nihil velis, contra Deum, extra Deum, supra Deum: Sed cor tuum Deo soli totum tradas possidendum, cunctis creaturis eiectis. Ex tota anima tua, hoc est, ex toto animali homine tuo, vt quinque sensus tuos contineas & abstrahas ab omni voluptate, ab omni opere diuinis oculis ingrato: verum sensibus ipsis vt aris potius, non ad voluptatem aut peccata, sed ad Dei solius honorem. Ex tota mente tua, hoc est, ex intellectu tuo, in vera fide, & firma ad Deum fiducia, sine vllis opinionum fluctuationibus retinendis aut excogitandis, & tanto magis in Dei amore proficies. Ex omnibus viribus tuis ipsa scilicet ad amorem & honorem Dei expendendo & consumendo, secundum altissimum beneplacitum illius, sine vlla proprii commodi contemplatione. Animam quippe tuam totam sibi possidere desiderat Deus, ideòq; ait, Ex toto corde, ex toto anima. Vt autem plenius intelligatur summum istud dilectionis præceptum, operæ pretium est prius intelligere, quis sit Deus, & quæ anima nostra.*

Amor Dei vt sit omnium exercitiorum scopus. 1. Cor. 13.

Matth. 23. Augustia.

Lucæ 10. Diligere Deum ex toto corde, ex tota anima & cæ. quid.

Anima